

Dioscoridis icones quas misisti, paucas possum extricare.

Reliquas quas misisti plantas studebo determinare, quam primum desero praedium et urbem Bibliothecam introeo. Sed nolo quod diutius expectes meum responsum.

An D. *Scopoli* opus de *insectis* prodiit? quo in loco? sub quo titulo? deberem illud allegare in nova editione systematis.

Upsaliae 1764. Aug. 20.

30.

Viro Clarissimo Nicol. Jacquin s. C. Linné.

Durissimam Tuam epistolam accepi, ad quam dubitavi respondere; sed ne videar fregisse primum amicitiam pauca reddam. Unicum in Tua epistola momentum deficit, scilicet exemplum quo demonstres me fregisse amicitiam ullius. Si hoc nequeas, non bene scripsisti. Si poteris frigide excipere meas rationes, eas reddam.

1. Si mihi essent tot manus, quot idolo isto chinensi, non sufficerent semper respondere omnibus. Scribunt innumeri, tantum pro commercio literario continuando, et de nulla re scribunt; his nec dies nec noctes sufficerent mihi. Interea hoc certum quam certissimum, quod ego quotannis scripserim ad exteros plures epistolas, quam omnium facultatum professores n. 25 simul, ad exteros indigenasque. Dum mecum perpendo transacti aevi labores, eos impendi rebus quae me exhausterunt, ut nisi habuissem uxorem, quae curasset oeconomiam, dudum de me actum fuisset. At contra amicis, qui literas ad artem spectantes misere, numquam omisi sciens volensque respondere, quamvis diu cogitavi contrahere vela mea et in portum me recipere.

2. Morbo gravissimo affectus fui d. 2. Maji, nec lectum